

nullo modo potest. Æternam verò vel perspicere
vel impetrare potuisse beatitudinem, periculosum fo-
ret affirmare. Quotusquisque enim de immortalita-
te animæ verum & indubitatum fovit sensum? Sene-
ca sanè efficit, ut dubitemus de plerisque. Nimirum
cum multa passim dixisset tantum non christiana, de
expectandis post mortem gaudiis, in *Consol. ad Mart.*
cap. 19. sic statuere non erubescit: *Mors omnium dolorum
& solutio est & finis, ultra quam mala nostra non exeunt, quæ
nos in illam tranquillitatem, N. B. in quâ, antequam nasceremur,
jacuimus, reponit.* Ludibrium deinde facit Poëtis, quod
Tartara, quod campos Elysijs, aliâque sua somnia
obtruserint credentibus. Egregiam verò felicitatem,
quæ in nudâ consistit mali privatione, & post vitam
nulli non communis est bestię. Et quid aliud per
Pythagoræ quæsiuit *μετεμψύχωσι* Diabolus Dei Simia,
quàm ut ridiculam faceret immortalitatem? Platonem
quidem peregrinatione per Syriam institutâ, percepisse
de Judæorum dogmatibus nonnulla, atque adeo non
ineptè postea philosophatum fuisse, concesserim:
multa tamen è gentilium placitis admixta fuisse vel ab-
surda vel impia, quis abnuerit?

Sanè qui Christi gerunt nomèn & profitentur
doctrinam, ferè sine impietate rem adeo claram non
possunt disputare, propterea quod unicam salutis
viam aperuerit Salvator, eâ conditione, ut qui non
sequatur istam, præsentissimæ addictus maneat da-
mnationi. Nihilominus quia in ipso Ecclesiæ gre-
mio extiterunt aliqui, qui argumentum, ne joco defen-
dendum quidem, seriò commendandum susceperint;
forte alienum non fuerit istis Atheismi architectis ire
obyiam. Recenset ejusmodi catalogum Chemnitius

Exam.